

**3) Gnadenhilfen**  
**Brief der Theologischen Fakultät Würzburg an**  
**Papst Clemens VIII.**  
**über die Wirksamkeit der Gnade Gottes**

(abgedruckt aus A. Ruland: Series et vitae professorum ss. Theologiae. Wirceburgi  
1835, S. 258-260)

B.

**AD. SS. D. CLEMENTEM**  
**PAPAM VIII.**

**Devotissima Universitas Her-**  
**bipolensis.**

**Beatissime Pater Pontifex Maxime!**

**I**n audivimus et in hac Academia nostra Herbipolensi controversiam inter nonnullos Theologos non ita pridem excitatam de Divinae Gratiae vi et efficacia modo in Urbe tractari. Valde dolemus e dono gratiae, alias homini ad pacem datae controversiam moveri. Veremur enim ex hac parva scintilla magnam in Ecclesia flammam, quam Deus clementer avertere dignetur, oriri posse. Utinam et sectarii in Germania, quando ad eos fama defertur, aliquos e catholicis theologis opinari per Divinam Gratiam sic hominis praedeterminari voluntatem, ut nequeat cum ejusmodi motione adjungi dissensus, non magis confirmarentur in sua semel erroris sententia concepta de libertate, nobis per coelestis gratiae potentiam erepta! Non dubitamus, Beatissime Pater, Sanctitatem Vestram pro sua, qua in rebus difficillimis pollet prudentia et autoritate, quam in controversiis Religionis componendis a Deo

concessam habet, cito huic gliscenti malo, ne cum quorundam offensione, et scandalo forsitan longius progrediatur, salubre et opportunum adhibituram remedium, seduloque curaturam, ut Authores hujus rumoris ubique quasi disseminati suam de gratia praedeterminante opinionem in Urbe ex fide certam esse, et passim a Theologis ut certam doceri, a coepto suo praeposito, non satis laudato, deinceps desistant. Istud modo humillime rogamus, ut hanc nostram curam et sollicitudinem, quam ad Sanctitatem vestram referimus, et in qua praeter pacem, animorumque concordiam in Ecclesia conservandam aliud nihil spectamus, clementer paterneque suscipere velit, sique aliquando in hac controversia quid determinandum sit, Academiarum etiam Catholicarum, in locis praesertim Septentrionalibus (ubi majori studio et diligentia ob vicinum et imminens malum discutiuntur haereses et examinantur) audire sententias et judicia dignetur. Nos quidquid, Beatissime Pater, ad Sedis Apostol. Majestatem Religionisque Catholicae Veritatem promovendam ac tuendam spectat, id ipsum opella nostra curare parati sumus, et sanctitati vestrae (ut finem faciamus) pro Universa Republica Christiana a Deo Opt., tanquam optimo Germaniae Parenti et Pastori vitam florentem, maximeque diuturnam optamus.

Herbipoli 7. Julii. Anno 1601.

### Sanctitatis Vestrae

Filii obedientissimi in Academia Herbipolensi  
Theologiae Doctores et Professores.

Eucharius Sangius, Episc. Augustopolitanus  
et p. t. Suffrag. Herbipolensis S. Theol.  
Doctor.

Georgius Schwickardus, SS. Th. Licentiatus,  
Ep. Herbipol. in Spiritualibus Vicarius  
generalis. m. p.

Erasmus Schaiblein, Eccl. Haug. Canonic. S.  
Th. Doctor.

Magnus Schmidt, S. Th. Dr., illustr. Prin-  
cipis Herbipol. Ecclesiast. et Consiliarius,  
Canon. et Schol. N. Monasterii.

Nic. Gobelius, S. Th. Dr., Summae Aedis  
ibidem Vicarius.

F. Balth. Buchnerus, Ord. S. Dominici, SS.  
Th. Dr., Monasterii Herbip. Subprior

F. Casp. Levibach, Ord. S. Francisci, S.  
Th. Dr., Monasterii Herb. Concinator  
Generalis.

Henr. Haverus, Collegii Societatis Jesu Rector.

Herman. Sundorpius, S. J. Studiorum Prae-  
fectus.

Petr. Thyraeus, S. J. Theol. Professor.

Joan. Pernotus, S. J. Theol. Prof.

Mart. Becanus, S. J. Theol. Prof.

Thom. Mationius, S. J. Theol. Prof.

---